



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendivm Cæremoniarvm In celebratione Diuinorum Officiorum Observandarvm

Jacobs, Johannes

Antverpiæ, 1621

Præfatio Ad Lectorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40844

PRÆFATIO

Ad Lectorem.



Vandoquidem, ut omnia honestè, ordinatè ac uniformi ritu ubique fierent, in diuinis Officijs præscripta sint non tantùm certæ preces, sed etiam certi ritus seu Cæremonia sine quibus ministri Ecclesiæ muneris suo non satisfaciant, ut patet ex Constitut. Clementis VIII. præfixa Cæremoniali Episcoporum iussu ipsius nouissimè reformato, quod in omnibus Ecclesijs præsertim Metropolitanis, Cathedralibus & Collegiatis districtè obseruari mandauit, non obstantibus illarum statutis aut consuetudinibus, etiam iuramento vel alia quauis firmitate roboratis, ceterisue contrarijs quibuscumque: illudque non omnibus ad manum sit, neque omnibus vacet peruoluere: operæ-premium me facturum existimaui, si sacros illos ritus seu Cæremonias, collatis diligenter varijs locis

Præfatio ad Lectorem.

Ceremonialis, ac Missali cum Ceremoniali, in breuem ac facilem Methodum redigerem, quò eorum obseruationem, quæ alioqui difficilis videtur, facilem redderem, omnesq; ac præsertim Magistrum Ceremoniarum, ad quem spectat, quos opus est docere ac instruere, eo studio ac labore subleuarem. Seruauì autem in illis disponendis ordinem procedendi à generalibus ad particularia, proponendo videlicet primum communia omnibus diuinis Officijs, deinde singulis propria; item proponendo primum ea quæ spectant ad omnes, deinde quæ ad pauciores aut certos quosdam: ob quam etiam causam primum posui illa quæ absente Episcopo sunt obseruanda, tanquam communia omnibus Ecclesijs, deinde tanquam magis particularia quæ eo presente vel etiam celebrante fieri debent, prout videre est in indice Capitum subiuncto. Distinxi verò singula capita suis numeris, & in quibusdam etiam diuersos characteres adhiberi curauì, ut & id quod queritur statim inueniri,

Praefatio ad Lectorem.

ueniri, & diuersitas qua in quibusdam
Officijs seu Missis est, aut ex praesentia
sanctissimi Sacramenti vel Episcopi
oritur, ex ipsis etiam characteribus ad-
uertiri possit: prior enim diuersitas ex
particularitate Officij aut temporis pro-
ueniens, minore characterere comprehen-
ditur, & posterior ex praesentia Sacra-
menti vel Episcopi. Adiunxi in fine
Considerationes quasdam perutiles ad
celebrationem festorum praescripto Bre-
uiarij conformandam, collectas potissi-
mum ex Constitut. Pij V. & rubricis in
principio Breuiarij: quas, etsi non tam
spectent ad Ceremonias, quam ad ipsam
substantiam & formam Officij dicendi,
hic tamen adiungendas censui, ut sic
constaret de toto Officio celebrando tam
quoad substantiam ac formam, quam
quoad accidentia seu Ceremonias in
publica recitatione illius adhibendas. In
quibus omnibus colligendis ac dispo-
nendis, beneuole Lector, si, quod huma-
num est, in aliquo erratum sit, vel quid
minus recte positum aut ordinatum,

Præfatio ad Lectorem.

pro tua humanitate ignosces: si quid
autem bene, cedat ad tuam commodi-
tatem, & ad maiorem Dei gloriam &
honorem, à quo est profectum, qui est
benedictus in sæcula. Amen.



I N D E X